

44.

189

ANNUARIO
DELLO
I. R. GINNASIO SUPERIORE
DI
CAPODISTRIA

Anno scolastico 1911-1912



Quid Cicero de aetatis suae imitatoribus
Alexandrinorum poetarum censuerit,
scripsit *Eugenius Simzig*.

Notizie scolastiche.

Lehrerbibliothek
K. k. I. Staatsgymnasium
in Salzburg

TRIESTE

Stab. tip. L. Herrmanstorfer

1912



ANNUARIO
DELLO
I. R. GINNASIO SUPERIORE
DI
CAPODISTRIA

Anno scolastico 1911-1912



Quid Cicero de aetatis suae imitatoribus
Alexandrinorum poetarum censuerit,
scripsit *Eugenius Simzig*.


Notizie scolastiche.

TRIESTE
Stab. tip. L. Herrmanstorfer
1912



EUGENIO SIMZIG

**Quid Cicero de aetatis suae imitatoribus
Alexandrinorum poëtarum censuerit.**



EUGENIO ZINZIG

Gold Cicero de actibus suis illustribus
Alexandriam postquam pervenit.



Si Ciceronis scripta, quae vocantur rhetorica, atque in iis praecipue Brutum, Oratorem libellumque De optimo genere dicendi vel minus diligenter legeris, aliquid insoliti, quod in aliis Ciceronis libris frustra quaesieris, animum tuum percutiet statimque manifestum tibi erit M. Tullium quos supra diximus libros non tam docendi causa quam eo consilio conscripsisse, ut viros quosdam aetatis suae, qui in scribendo aut inanem verborum strepitum doctrinamque nimium affectabant aut de iis quae veteres poëtae Romani ad Graecorum exempla finxerant operibus secus existimabant, apertis vel reconditis verbis nonnunquam reprehenderet atque corripere. Iam vero reprehensiones illas modo ad poëtas modo ad oratores aetatis Ciceronianae spectare ex compluribus locis facile colligitur. Erant enim ea tempestate inter cives Romanos nonnulli, qui ut mores et instituta, quae tum vigeant, sic poësin quoque et eloquentiam funditus renovandam esse censebant, quique Caesarem et Augustum, penes quos tunc opes et potentia erant, iusto vehementius adversabantur et insectabantur. Hi eloquentiam Asiaticam, id est dicendi genus tumidum nimisque exornatum, valde reprobantes Atticos oratores, in hisque maxime Lysiam velut unicum ad imitandum exemplar proponebant, unde Attici mutuato nomine a Cicerone appellantur. Hos oratores Pseudo-Atticos Tullius in iis quae supra memoravimus scriptis rhetoricis saepius quam poëtas nimirum perstringit, quod verebatur, ne illorum praeceptis gloria, quam sibi in opera forensi paraverat, obscuraretur. Poëtas vero aetatis suae, quorum famae eo magis Cicero inviderebat, quo minus ipse carminibus fingendis inclaruerat, quamquam placidius tractat quam Atticos, nihilo setius tamen, quod a poëtis priscae Latinitatis eorumque principe Ennio deflectere et nova petere exempla audeant, passim exagitat.

Sed tantum abest, ut de omnibus quas Cicero cum aetatis suae viris doctis habuit controversiis disseram, ut dissensionem illam fusius retractem, quae fuit Arpinati cum eiusdem aetatis poëtis, qui poësi novandae operam dabant. Priusquam autem controversiam hanc explanare incipiam, haud inopportunum videtur paullo altius rem repetere primumque de poësi Latina pauca referre, tum ipsos poëtas eorumque carmina ad Graecorum exempla efficta, quatenus ad nos pervenerunt, enumerare, locos denique Ciceronianos, in quibus poëtae *novi* memorantur, attentius considerare. Item de Romanorum poësi lyrica summatim exponam, ut manifeste appareat, quanti momenti fuerint poëtae, qui novi a Cicerone vocantur, iis qui postea fuerunt carminum auctoribus.

Ac primum quidem poësis Latina non pari ac Graeca ponderanda est statera. Graeci enim poëtae quasi e terra nati naturae diligentissima observatione ad carmina condenda velut divino quodam afflatu impellebantur eorumque carmina in ludorumque sollemnium coetu cupidissime audiebantur. Ab antiquissimis inde temporibus cantores ad regum convivia, ad deorum sacra adhibebantur auresque audientium deorumque hominumque laudibus permulcebant. Quo factum est, ut poësis Graeca ad sensum popularem vulgaremque accommodaretur et a cunctis intellexeretur. Apud Romanos contra antiquissimis temporibus ars poëtica a civibus in rerum publicarum varietate versantibus ad nugas referebatur vel prae forensi armorumque strepitu plane neglecta Graeculorum maxime curis demandabatur. Ceterum haec tanta Romanorum gravitas atque severitas non impediit, quominus carmina popularia, carmina religiosa quaeque sunt rudimenta poësis lyricae, sympotica, amatoria, nuptialia, navalia, militaria, rustica apud gentes Italicas haud secus atque alibi increbrescerent. Quorum canticorum quamquam nihil fere ad nostra tempora manavit, tamen vestigia aliqua supersunt. In funeribus celebrandis neniae laudandi gratia ad tibiam cantabant; in epulis convivalia, in castris castrisia, in triumphis obscoena vel probrosa concinebant. At cum Italici congressionum celebritate carerent, cantica ista non non latius innotuerunt neque per totam Italiam, ut Graecorum per Graeciam, vulgata sunt. Obstabat praeterea Italicae lyrae incremento, quod Graecorum poëtarum gloria aures Romanorum obstreperentur cantoresque Italici peregrina imitari quam domestica excolere mallent. In carminibus vero religiosis Italici, quo erant rigore in deorum cultu, nullam patiebantur mutationem vel varietatem, unde evenit, ut verbi gratia Carmen Arvale vel Augusti quidem aetate, etiamsi a nullo comprehenderetur, obsoleto illo et ab ultimis iam oblitteratis temporibus repetito tenore recitaretur. Cum igitur Romani vetustas

canticorum formas mordicus retinerent, quid mirum poësin lyricam apud eos tardo gradu se evolvisse neque, sicuti folliculo se exserit spica, flores suos expandisse? Quin etiam cum litterae Graecae per Italiam diffunderentur, poëma epicum et dramaticum prae melico principatum obtinuit. In tragoediis vero Romani choros, quae est dramatis pars lyrica, omnino omisisse videntur; denique ne longus fiam, paucissima aetatis praeciceronianae ad lyricam referri possunt. Septimo denique ineunte saeculo melicum genus adhuc neglectum radices agere coepit: grave initio et ad mores formandos compositum, velut in Lucilii satirarum libro, qui Collyra ab amicae nomine inscribatur; malitiosum et procax in epigrammatibus; artificiosum denique et effeminatum in iis carminibus, quorum natura e paucis fragmentis vix discerni potest quaeque in Laevii Erotopaegniis occurrunt. Sed primordia poësis lyricae ut initio saeculi septimi statuatur, tamen negari non potest poëmata Lucilii et Laevii paucaque Porcii Licinii Catuli Graecorum melicorum exemplis longe inferiora fuisse. Poësis vero lyrica cum iis demum poëtis exstitit, qui Ciceronis aetate floruerunt, quique melopoeam e Graeco fonte manantem pleno ore hauserunt.

Iam vero quaerenti, utrius aetatis specimina poëtica secuti sint Italici, eiusne, qua civitates Graece plena libertate, an illius, qua in Macedonum vel Romanorum ditione ac servitute tenebantur, simpliciter respondebimus Italicos paucis modo exceptis non veterum sed Alexandrinorum, qui dicuntur, vestigia pressisse. Sed quo magis in aperto sit, quantum utriusque aetatis poëtae inter se differant, naturam atque indolem poëseos Alexandrinorum explanari oportet, quod quam brevissime potero absolvam.

Alexandro igitur mortuo Graecorum terram patriam incolentium principatus, quem cum in rebus civilibus tum in literis atque artibus obtinuerant, transit ad colonias in orientem deductas. Alexandria maxime in urbe Ptolemaeorum munificentia literis et artibus splendida domus parata est, in quam doctissimi atque eruditissimi viri universae Graeciae ad literas tractandas conveniebant. Eo accessiti sunt homines docti, qui indices scriptorum Graecorum conscriberent et collatis codicibus manuscriptis verba eorum a corruptelarum sordibus purgarent. Qui simulac ad tantae molis operam accesserunt, facere non poterant, quin in veterum scriptorum monumenta altius descenderent eaque accuratissimis enarrationibus atque interpretationibus illustrarent, unde cernendi et recensendi ratio adhuc neglecta mirum in modum increvit.

Praeter hos homines eruditos, quorum doctrinae ex aerario satisfiebat, non deerant, qui colligendorum et explanandorum

carminum cura ad alios delata ipsi versus facerent et in carminibus condendis sibi laudem quaererent. Horum poëmata in umbraculis regiae sub regum auspiciis pullulantia quantum discederent a priscorum melicorum praestantia non est quod moneam. Poëta Alexandrinus versatur potissimum in exprimendis sensibus, quibus quisque maxime afficitur; abhorret a negotiis publicis, fugit exercitationem forensem, neglectis quae extra sunt, in semet ipsum descendit, quae in animo suo latitant velut divina ope in lucem profert, rerumque inanitatem saepe doctrinae copia occultat. Libertate nimirum amissa quid tandem supererat, quo poëtarum animi incenderentur? Itaque nova cum quisque argumenta exquireret, in putidam elegantiam affectationemque delapsi carmina miro imaginum flore consperserunt. In tanta ingeniorum exilitate complura poëseos genera, quae olim diligentissime reculta erant, poëma epicum, heroicum, tragicum obsolescere et prorsus exstingui necesse erat. Fabula localis ab uno Rhiano tractata est. Ad eruditionem Alexandrinam carmen certe didacticum aptius conveniebat, nisi quod hoc quoque genus vi carebat poëtica. Quamobrem recte censuit Alexandrinorum quisquis antiquorum poëtarum molem horrescens versiculos pro versibus fundere instituit. Etenim melius erat tunc et sanius in ineptiarum curriculo ineptire quam tuba epica vel cothurno tragico ex horreis deprompto cachinnum movere, praesertim cum hoc nugarum poëticarum genere, quod ad motus animorum exprimendos pertinebat, aliquid novi et inusitati procreari posset. Sic ex Alexandrinorum officina multa illa prodierunt epigrammata, fabulae poëticae, epithalamia, naeniae, elogια, amatoria, praeterque choliambos et mimiambos pastoralia seu bucolica, in quibus Theocritus super ceteros praestisse lippis notum est atque tonsoribus. Praeterea in deliciis erant elegi, quod carminum genus antea nunquam altius provectum diversissimis argumentis, considerationibus, narrationibus inserendis accomodatum Alexandrinorum opera lactissimum tulit proventum. Innotuerunt inter elegiarios Philetas, Hermesianax, Phanocles maximeque Callimachus et post longum temporis intervallum exeunte iam Alexandrinorum aetate Parthenius. Hi omnes in condendis elegeis secuti sunt exemplum Mimnermi, praeclari Nannūs cantoris, qui puellae illius nomine elegos suos inscripserat, unde consuetudo ad Alexandrinos manavit.

Nec solum propria incendia a poëtis Alexandrinis versibus celebrata sunt, verum etiam quae de prioris aetatis amoribus saepe incundissimis et facetis minus innotuerant, ex obscuritate in lucem proferebantur et narratione poëtica recalebantur. Quae carmina

erotica, quamquam neque omnibus numeris absoluta neque ab omni vitio vacua erant, tamen a poëtis posterioribus imitatione digna habita sunt. Virorum maxime in mulieres amor, qui hucusque tota Graecia paene neglectus erat, ab Alexandrinis poëtis primum summa teneritate et prope dixi pietate cantari coeptus est.

Nec defuerunt in tanta versificum copia, qui impar cum Homero certamen abnuentes Antimachi Thebaidem vel Scutum Herculis aliaque eiusmodi recalcanda susciperent et ad *ἐπύλλια* conscribenda incumberent, in quibus Homeri simplicitatem, ingenuitatem, sinceritatem frustra quaesieris. Quodsi carminis vere epici congruentiam, convenientiam, aequitatem, commoditatem affectassent, eruditionis mole obruti Icario mari nomen dedissent. Idcirco tenuiori versiculorum generi et dictionis elegantia et doctrinae illecebris nitenti operam dederunt. Horrebat oratio verbis obsoletis, sententiis obscuris, mythis reconditis adeo, ut legentes ampullarum novitate percussi frustra, quid auctor sibi vellet, quaererent. Eo maior scilicet auctoritas, eo plenior admiratio. Neque aliter evenire poterat, cum idem esset versuum artifex atque carminum interpret sive grammaticus.

Huic igitur poëscos generi erudito et perpolito Pindari sera progenies indulserat paullo ante quam Romanorum ditionis facta est; hoc elegantiae sensu Graeculorum quotquot patria relicta in Italiam demigrarunt, animos rudes Italicorum imbuerunt. Quo factum est, ut simulatque Romae Alexandrinorum poësis innotuit, omnium mentes et aures peregrino sonu obsiderentur, res metrica, quae eo usque viguerat, funditus everteretur, Andronicorum Enniorumve auctoritas teste Horatio collaberetur.

Iam paucis igitur ante Ciceronis consulatum annis iuvenes aliquot studiosi et amicitia inter se coniuncti consilium inierunt de poësi Latina renovanda et situ sordibusque purganda. In hac opera navanda Alexandrinorum maxime exemplum sectari, grandia intermittere, elegos, epigrammata, *ἐπύλλια* factitare instituerunt. Sed cum ex auctoritate Alexandrinorum penderent et tamquam magistrorum dictata recinerent, fieri non potuit, quin in ipsa quae supra memoravimus exemplarium vitia incidentes mira, exsoleta, peregrina, obscura, absona atque absurda affectarent et nonnunquam risum Martialis¹⁾ elicerent.

Princeps huius ordinis Cato fuit Valerius, qui Suetonio teste „docuit multos et nobiles visusque est peridoneus praeceptor maxime ad poëticam tendentibus ut quidem apparet vel ex his versibus :

¹⁾ Mart. Epigr. X. 21.

Cato grammaticus, Latina Siren.
qui solus legit ac facit poëtas.“¹⁾

Suetonius eum libertum e Gallia Cisalpina ortum esse dicit, ipse Cato in libello qui „Indignatio“ inscribitur ingenuum se profitetur. Proscriptione Sullana anno octogesimo primo a. Chr. n. patrimonio spoliatus Romam se contulit, ubi a Vettio Philocomo grammatica institutus tantaque doctrina imbutus est, ut iuvenis nondum viginti quinque annorum dignus haberetur, qui scholae poëtarum novorum praecesset. Ceterum tanta fuit eius paupertas, ut villam, quam a patre hereditate acceperat, creditoribus cederet. Scripsit cum alia tum carmina epica, Lydiam et Dianam, quae ab amicis admodum laudata sunt :

Lydia doctorum maxima cura liber.²⁾

Dianam aut Dictynnā Helvius Cinna his versibus approbavit :

Saecula permaneat nostri Dictynna Catonis.³⁾

„Indignatio“ utrum versibus an oratione soluta scripta fuerit, parum liquet. Si verum est, quod monet Horatius in libro de Arte poëtica, indignationem nonnunquam facere versum, haud ita absurdum videtur Valerium bilem, quam, qui manumissionem ipsi exprobrabant, movissent, in versus effudisse. Peritissimus linguae Graecae Romanos, quod rem metricam neglegerent, vituperabat. Idem versus Lucilianos emendandos suscepit, ut apparet e versiculis, qui in codicibus quibusdam decimae libri primi satirae Horatianae praemittuntur :

Lucili, quam sis mendosus, texte Catone
Defensore tuo, pervincam, qui male factos
Emendare parat versus, hoc lenius ille,
Quo melior vir et est longe suptilior ille,
Qui multum puer est loris et funibus udis
Exoratus, ut esset opem qui ferro poëtis
Antiquis posset contra fastidia nostra
Grammaticorum equitum doctissimus.

Cum carminibus Latinis limam deesse animadvertisset, amicorum animos in carmina Apollonii Rhodii, Euphronis, Callimachi aliorumque poëtarum aetatis Alexandrinae convertit hosque imitandos praedicavit.

Nec solum poëseos novandae auctor fuit Valerius Cato, verum

¹⁾ Suet. de gramm. II.

²⁾ Teste Suetonio de gramm. II. Ticias versus illum composuit.

³⁾ ibidem.

etiam artis oratoriae, qua prae iis excellebat oratoribus, qui Attio a Cicerone appellantur et persaepe vellicantur.

Idem sentiebat de emendanda arte poëtica et rhetorica C. Licinius Macer Calvus. Licinii Maeri rerum scriptoris a. d. V. Kal. Iunias anno a. Chr. n. octogesimo secundo¹⁾ Romae natus „parvulus statura erat“ ut Seneca²⁾ ait, „propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis³⁾ vocat illum „salaputtium disertum“ itemque ab Ovidio⁴⁾ exiguus appellatur. Pater eius a Cicerone repetundarum accusatus, priusquam filius nasceretur, sibi mortem consciverat. Admodum puer Catullum carminibus suis ita inflammaverat, ut exinde pro amico haberetur et carmen Catullianum L. ei dedicaretur. Uxor eius Quintilia, quacum feliciter vixit, praematura morte absumpta est. De calamitate consolatur amicum Catullus teneris illis elegis qui XCV primi libri carmen efficiunt. Idem Calvus secundum praecepta novae scholae carmina erotica⁵⁾ scripsit, quae a Seneca⁶⁾ iocosa quidem, sed ingentis animi plena fuisse dicit. Praeterea epigrammata in Caesarem composuit, quibus tantum abest, ut Caesaris iram moveret, ut hic ad Macrum de reconciliatione per amicos agentem ultro ac prior scripserit.⁷⁾ Idem mordacissimis hendecasyllabis M. Curium, choliambis Tigellium perstrinxit. Priscianus⁸⁾ epithalamium quoque scripsisse tradidit; Propertius⁹⁾ autem cum dicit

haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
cum caneret miseræ funera Quintiliae

nihil aliud in animo habuisse videtur nisi Calvi poëmata elegiaca. Praeterea epyllio Ionis casus intexuit. Ingenio fuit hilari et lepido, nisi quod tristi exitu patris afflicus est. Sermo cum aculeo aliquo elegans, modo suavis modo acerbus.

At maiorem laudem Calvus collegit causis in foro dicendis duxque habitus est Atticorum illorum, qui non Asianas tantum ampullas condemnabant, sed Ciceronis temperatiorem quidem eloquentiam ut inflatam et redudantem improbant.

1) Plin. H. N. VII. 49. 165.

2) Sen. contr. VII. 17

3) Cat. carm. LIII. 5.

4) Ov. Trist. II. 432.

5) ibidem.

6) Seneca, contr. VII. 17.

7) Suet. Caes. 70.

8) Prisc. VI. pag. 658 P.

9) Prop. III. 25. 4.

Praeter Catonem et Calvum e Gallia Transpadana Romam venerat Cornelius Nepos clarissimus rerum scriptor, ut procul a negotiis publicis totum literis se dederet. Mox captus est admiratione Catulli et vicissim a Catullo in carminibus laudatus. Idem fuit amicus Attici et Ciceronis et, ut fere omnes illius aetatis viri docti, teste Plinio ¹⁾ occasione oblata versus faciebat, quibus Catulli nugas imitatus esse videtur.

Etiam M. Furium Bibaculum Cremonensem in poëtarum novorum numero referre licet, qui auctore Hieronymo ²⁾ anno centesimo tertio a. Chr. n. ortus est. Eius carminum nobis quattuor fragmenta supersunt, quorum tria in laudem Catonis facta sunt. In primo quidem fragmento Catonem ut supra diximus solum facere poëtas existimat, in secundo eum villam creditoribus cessione narrat, in tertio modestam Catonis vitam laudat, in quarto denique fragmento Orbilii oblivionem deridet. Iam vero si Furius anno, quo Hieronymus tradidit, natus esset, illos versus in Catonem et Orbilium non fecisset cum illo tempore, quo memoriam labantem Orbilii in ludibrium vertit, ipse senescens in idem vitium memoriae delapsurus esset. Unde Hieronymum Furium Cremonensem ab Antiate non distinxisse verisimile est. Poëmata epica usque fastidians cum iocosos est mordaces iambos et hendecasyllabos composuit, tum maxime epigrammatibus, cui generi perquam indulgebat, ut Calvus et Catullus, Caesarem et Augustum persecutus est, qui, ut Taciti ³⁾ utar verbis, „et tulere ista et reliquere.“ Dum vixit, voluptati obsequens fuit ideoque „Bibaculus erat et vocabatur.“ ⁴⁾ Praeter carmina „Lucubratio“ Furio attribuitur prorsa oratione exarata, quae Ciceronis facete dicta continet. Apud Catullum cum nulla fiat mentis Bibaculi, quamquam et is Alexandrinorum sectam aemulabatur, multo iuniorem fuisse et post mortem Catulli aut paullo ante floruisse consentaneum est, unde Hieronymi error eo manifestius apparet, cum anno centesimo tertio eum natum esse dicit.

Q. Cornificius nobili loco natus filius Cornificii, qui anno sexagesimo sexto praetor urbanus fuerat, Caesari mortuo a senatu in Africa missus cum de provincia decedere recusaret, a militibus desertus, quos saepe fugientes galeatos lepores haud infacete appellaverat, interiit anno a. Chr. n. sexagesimo primo ⁵⁾. Praeter hende-

¹⁾ Plin. H. V. 3. 6.

²⁾ Hier. 2 pag. 133 Sch.

³⁾ Tac. Agric. 4. 34.

⁴⁾ Plin. H. N. 24.

⁵⁾ Hier. 2 pag. 139 Sch.

casyllabos poëma quoddam de Glauco, quem etiam Cicero adulescens versibus cantaverat, composuit, ex quo fragmentum aliquod ad nos pervenit. Cum de hendecasyllabis unus supersit, de Cornificii sermone ac dicendi ratione perdifficile ac temerarium est iudicare. Bello civili partes senatus capessivit et pro Sex. Pompeio pugnavit. Inter amicos Catulli eum fuisse vel inde colligitur, quod a Catullo in carmine XXXXII solacium rogatur.

Etiam C. Helvius Cinna usus est Catullo familiariter, natione ut videtur Transpadanus, nam ut ex carminibus cogi potest, certe aliquid temporis in Cenomanibus commoratus est, ubi gens Helvia notissima fuit. Cum Catullo amico in Bithynia fuit ac paullo post in Gallia Cisalpina, ubi hendecasyllabis voluptates vitae rusticae celebravit. Praeterea carmina amatoria, quae ab obtrectatoribus inlepida¹⁾ vocata sunt, et choliambos et epigrammata scripsit, quorum uno Dictynna Catonis, ut iam supra diximus, celebratur. Sed multo maiorem gloriam assecutus est, postquam Propempticon ad Asinium Pollionem adulescentem, qui tunc in Graeciam profecturus erat, misit, quo iter a Brundisio in insulam Coreyram ac deinde Actium litora Graeciae haud sine doctrinae ostentatione perscribentur. Iam antea Parthenius Propempticon composuerat, quod sine dubio Cinna imitatus est. Summa vero diligentia in epyllio „Smyrna“ inscripto usus est, ubi amorem Smyrnae in patrem regem Cypri et puellae commutationem in arborem, ex qua Adonis natus, narravit. Quo in poëmate condendo novem annos consumpsit fabulamque a Panyasi narratam, ab Alexandrinis recoctam tanta doctrinae caligine occaecavit, ut aequalibus perobscurum esset et Cinna nondum mortuo a L. Crassitio grammatico enarratione non magis proluxa quam necessaria instrueretur. Quid quod Martialis in epigrammatibus²⁾ salse ridet :

Scribere te quae vix intellegat ipse Modestus
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte iuvat ?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris ;
Iudice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur sane ; mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, ut sine grammaticis.

Suetonius³⁾ vero L. Crassitium Smyrnae enarratione ita inclaruisset prodit, ut haec de magno eius ingenio scriberentur :

¹⁾ Gell. 19. 9. 7.

²⁾ Mart. Epigr. 5. 21. seqq.

³⁾ Suet. de gramm. 18.

Uni Crassitio se credere Smyrna probabit.
Desinite indocti coniugio hanc petere.
Soli se Crassitio se dixit nubere velle.
Intima cui soli nota sua exstiterint.

At quamvis inlepidam atque obscuram fuissent carmina Cinnae, tamen a Vergilio adulescente imitatione digna habita sunt.

Sed longe amabilissimus et ingeniosissimus inter poëtas novos C. Valerius Catullus¹⁾ fuit. Catulli fama reliquos omnes obscuravit, Catulli carmina e tanta ineptiarum colluvie sola duorum milium annorum vetustatem probe tulerunt. Veronae anno a. Chr. n. octogesimo septimo natus in lacus Benaci ora villam splendidissimam a patre habuit. Literarum elementis domi institutus iuvenis admodum Romam venit, ubi Valerium Catonem cognovisse videtur et cum Licinio Calvo familiaritatem contraxit, nec dubium, quin ut Transpadanus Cornelium Nepotem saepissime visceret. Romae coetui poëtarum, qui domum Valerii Catonis in Aventino frequentabant, mox accessit et a Catone, qui iuvenis praecox ingenium sibi suisque ornamento fore praesentebat, benigne exceptus est. Romae Catullus Lesbiam illam cognovit ardentissimeque adamavit, quo ex amore multa illa manarunt carmina, quibus venustiora literae Latinae eo usque non protulerant. Clodia soror Clodii Pulchri Lesbiae nomine celebrata est, quae Q. Caecilio Metello Celeri nupsit. Anno undesexagesimo a. Chr. n. mortuo marito vitae luxuriosae et liberae se dedit eiusque consuetudo cum fratre²⁾ notissima est. Amore Lesbiae extincto C. Memmii propraetorem cum Helvio Cinna amico in Bithyniam secutus est, ut rem nimirum familiarem ex Clodiae consuetudine perturbatam ordinaret. Quid in provincia fecerit, nusquam traditum est; anno absunto domum rediens in Troade cineribus fratris vale dixit rursusque in Italiam profectus Veronae et Sirmione in villa paterna paulisper commoratus est. Inde Romam rediit, ubi Cinna interea Smyrnam ediderat; hanc carmine³⁾ magnis laudibus extulit. Reliquum vitae tempus partim Romae partim Veronae transegit et acerbissima epigrammata in Caesarem inque Mamurram familiarem eius composuit, etiamsi ille patris hospes Veronae fuisset. Anno circiter quarto et quinquagesimo Romae morte praematura absumptus est.⁴⁾

Ceterum Catullus plus iambis valuit quam elegis, unde a

¹⁾ Praenomen Quintus in codicibus Plinii H. N. 37. 6. 81 modo invenitur.

²⁾ Cic. Caelio 20. 48.

³⁾ Cat. carm. XCV.

⁴⁾ Ov. am. III. 9. 61.

Quintiliano iambographis adnumeratur et laudatur, in lyricis cum silentio praetermittitur.¹⁾ Ab Horatio in levi habetur, siquidem quod Demetrio Simiae obicitur, nil doctum illum fuisse praeter Calvum cantare et Catullum, in malam partem accipere fas est. Imitatione utique dignum aestimavit nec Catulli futuram gloriam apud posteros imminuit.

Praeter hos quos memoravimus poëtas novos alii ad circulum Catullianum accesserunt, quorum carmina exceptis perpaucis fragmentis deperdita sunt, nomina manent, in quibus L. Manlius Torquatus, filius consulis anni quinquagesimi quinti, cuius nuptias Catullus celebravit. Eundem Manlium Cicero in libris „de finibus bonorum et malorum“ doctrinam Epicuri explanantem ac defendentem facit et per occasionem interrogat: „Quid tibi, Torquate, litterae, quid historiae cognitioque rerum, quid poëtarum evolutio, quid tanta tot versuum memoria voluptatis adfert? ²⁾

Item C. Memmius, qui praetor et Catullum et Cinnam secum in Bithyniam duxerat, erotopaegnum auctor fuit et ab Ovidio³⁾ inter eroticos numeratur. At carminum eius unus versus reliquus est. Cicero eum Graecarum maxime literarum studiosissimum fuisse dicit; Latina fastidiebat, sed non adeo, ut carmen a Lucretio ipsi dedicatum aspernaretur. Exul in Graecia sua anno circiter duodequinguesimo a. Chr. n. decessit.

Apud Ovidium loco citato cum Memmio Ticideae cuiusquam fit mentio, a quo Lydiam Catonis celebratam esse supra memoravimus. Is Perillam, quae vero nomine Metella vocabatur⁴⁾, versibus cantavit. Praeter versum illam in Lydiam compositum versus glyconaeus ad nos pervenit.

Catulli in carmine XXXV Caecilius quidam e Novo Como poëta nobis occurrit, qui epyllium in Cybelem scriptitare coeperat.

Nihil notum est de carminibus L. Iunii Calidi, qui Lucretio et Catullo extinctis a P. Volumnio Augusti amico in proscriptorum numerum relatus et Attici ope exemptus est⁵⁾, praeterquam quod sermonis nitore excelebat.

Quid quod mulieres quoque poëticen attingere gestiebant! Harum duae innotuerunt eaeque poëtarum novorum sorores, altera Cornificii, altera Memmii. Cornificiae epigrammata lepidissima Hieronymi aetate nondum oblitterata erant.

¹⁾ Quint. X. 10. 1. at lyricorum idem Horatius fere solus dignus legi.

²⁾ Cic. de fin. I. 7. 25.

³⁾ Ov. Trist. II. 433.

⁴⁾ Apul. apol. 10.

⁵⁾ Corn. Nep. 25. 12. 4.

Horum carminum omnium reliquiae exstant paucissimae; supersunt quidem iambi aliquot, qui etsi non omnes a poëtis novis compositi, certe iniecti esse videntur, ut choliambi in illum Plotium Plancum Rufum, de quo Porphyrio ²⁾ haec refert: „Rufus praetorius instituisse traditur, ut ciconiarum pulli manducarentur isque cum repulsam praeturae tulisset, tale epigramma meruit:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Licet duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit septem:
Ciconiarum populus ultus est mortem.“

aut quae a militibus in triumphis Caesaris cantitata sunt, velut

Brutus, quia reges eiecit, consul primus factus est;
Hic, quia consules eiecit, rex postremo factus est.³⁾

aut

Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam;
Galli bracas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.⁴⁾

aut vulgatissima illa, quae milites Gallico triumpho currum prosequentes cecinerunt.⁵⁾

Omnes hos versus potius in umbraculis quam sub sole itinerum aut inter ignes castrorum progerminasse crediderim.

Neque Octaviano pepercerunt maligni. Semel cum lectisternii causa vellicant, quod heroibus utriusque sexus apparandum curaverat:

Cum primum istorum conduxit mensa chorum omnem
Sexque deos vidit Mallia sexque deas,
Impia dum Phoebi Caesar mendacia ludit,
Dum nova divorum cenat adulteria,
Omnia se a terris tunc numina declinarunt,
Fugit et auratus Iupiter ipse toros.⁶⁾

aut

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam.

Unde elucet iram novorum etiam in Caesaris filium adoptivum saevisse, quamquam ex eo numero clarissimi Caesarianis postmodo rebus favebant et erant ab initio Caesariani Cornificius et Quintilius Varus Transpadani; tempore interiecto Helvius quoque

¹⁾ ad Hor. Sat. II. 2. 50.

²⁾ Suet. Caes. 80.

³⁾ ibidem.

⁴⁾ Suet. Caes. 49 et 51.

⁵⁾ Suet. Aug. 70.

⁶⁾ ibidem.

Cinna et Bibaculus in partes illius ducti sunt. Ipse Catullus, quae vehementissime Caesarem, quem magnum vocabat, iambis incessiverat, contumeliis postea retractatis in gratiam cum illo rediit. Is „Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem eadem die adhibuit coenae, hospitioque patris eius, sicut consuevit, uti perseveravit.“¹⁾ Idem, ut supra diximus, „C. Calvo — qui Magnum vilipenderat — post famosa epigrammata de reconciliatione agenti ultro ac prior scripsit.“²⁾ Hi omnes, cum multis virtutibus, sagacitate, urbanitate, magnitudine animi, tum ipsa causa Caesariana et maxime beneficiis, quae in Transpadanos contulerat, ad eum tracti sunt.

Scilicet non defuerunt in tanta aemulorum copia, qui poëseos novandae negotium in ludibrium verterent et ipsis collegis despectui essent.

Iam vero quaeritur, quid tandem de ipsis poëtis novis senserint aequales. Quis enim tam simplex, ut hanc poëtarum novorum concitationem latuisse putet? Immo vero bina quodammodo castra posuerunt, eorum, qui novandi studiis favebant, et eorum, qui motus et turbas adversabantur. Ab illorum partibus stabant C. Asinius Pollio, C. Memmius, Q. Hortensius Hortalus, optimus quidem orator, pessimus versifex; hos cum alii tum maxime fovebat M. Tullius Cicero, oratorum princeps, versificator mediocris. Is quamdiu totus versatus est in republica, ut erat veterum laudator, sic novorum immanitatem tacite improbavit, aperte non oppugnavit. Sed ex quo remotus a negotiis ad rhetoricae ac philosophiae studia accessit, nimiam confidentiam eorum moderandam ratus, quotiescumque mordendi opportunitas ei data est, *cantores Euphorionis*, quos vocabat, vel *κατέχους* cavillatus est, praesertim cum novandi prurigne ars quoque dicendi corripere, in qua ipse ad summum fastigium proventus locupletissima exempla edidisse sibi videbatur. At ne tunc quidem Cicero poëtarum novorum conatus infestis ut dicam armis opprimere ausus est, immo vero vocis libertate perstrinxit. Quod si eos ad interneccionem redigere statuisset, libro aliquo, ut in Atticos, invectus esset.

Quae cum ita sint, locos deinceps considerabimus, quibus Cicero poëtas novos eorumque carmina cum aliquo aculeo significat.

Tribus igitur locis Tullium scholae novae certo meminisse viri docti opinantur quotiens nimirum ad eam designandam cantores

1) Suet. Caes. 73.

2) ibidem.

Euphorionis vel poëtas novos vel *νεωτέρους* commemorat. Hactenus quidem recte, sed alibi voce „quidam“ vel „nonnulli“ ad eosdem eum spectasse verisimile est.

Ac prima quidem mentio fit in epistula ad Atticum missa. Etenim e Cilicia profectus cum Cicero mense Novembri exeunte anni quinquagesimi a. Chr. n. in Italiam reverteretur, Brundisii e nave egressus ad Atticum literas misit, quarum in ipso initio, cum de itinere suo ex Epiro in Italiam facto amico narrat, iocose adit:

„ita bello nobis
flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites;

hunc *σπονδειάζοντα* si cui voles *τῶν νεωτέρων* pro tuo vendito,¹⁾ id est: Si cui poëtarum novorum gratum facere et admirationi esse cupis, pro tuo spondaicum hunc vende!

Tria mea quidem sententia ex hoc loco Ciceroniano efficiuntur, primum ut Atticus poëtarum novarum lusui indulserit eorumque gratiam aucupatus sit; deinde ut poëtae novi versus spondaicos in deliciis habuerint; tertium idque ad nostrum propositum gravissimum, ut Cicero novorum studia irriserit.

Risum nempe movebant *νεώτεροι*, cum a rei metricae praeceptis discedentes in quinto exametri pede spondaeum pro dactylo interponebant. At quid, quaeso, isto spondaeo interposito proficiebant? Ut Alexandrinorum nimirum temeritatem imitando exsuperarent. Hi enim nimia novandi cupiditate adducti numerum hexametri heroici fastidientes in tanta syllabarum brevium abundantia binas in quinto pede longas artificiose coniiciebant, dummodo ne Homerum sequerentur. Ad horum exemplum imitatores Romani versus spondaicos consulto iterabant, nisi quod ad spondaicos Latinos condendos syllabarum brevium penuria mirum in modum conveniebat. In his Catullus in elegis spondaeum pro dactylo in quinto versus pede duodecies exhibet, in epithalamio Pelei et Thetidis tricies ibidemque tres continuos. Num reliqui poëtae novi spondaicis abstinerint, e fragmentorum paucitate colligi nequit, dubitare licet. Ciceronis certe quae supra citavimus verba spondaeomaniam, quam vocaverim, testificantur. Quae quamquam Catullum non tangunt, quippe qui anno quinquagesimo iam mortuus sit, tamen et in eum conveniunt,

At praetermissa quidem re metrica in ipsa voce „Onchesmites“, qua Tullius in hexametri prioris catalexi haud inconsulto utitur, cachinnatio aliqua latet. Ventus enim, qui ab Onchesmo Epiri portu

¹⁾ cfr. Cic. ad Att. VII. 2. 1.

flat, ἡπαξ illo λεγομένῳ pro vulgari austro Onchesmites nuncupatur, vocabulum mehercle abstrusum pro comuni usurpatur. Nonne ista est Alexandrinorum et imitatorum cavillatio? Quid quod eundem ventum idem scriptor in epistula paullo post vel paullo ante vel eodem forte die¹⁾ ad Tironem data lenissimum appellat Austrum!

Sed ad σπονδειαζοντας ut redeam, non iniuste Cicero poëtas suae aetatis reprehendit, quod tam frequenter spondaico utuntur; nam in hexametro Latino, ut Ennius recte cognoverat, cum multo crebriores quam in Graeco sint syllabae productae, necesse est quintum saltem pedem spondaeo carere, ne versus dactylici numerus nimio spondaeorum pondere omnino opprimatur. Ac profecto etiam aetate Augusti quamquam plurimi poëtae spondaicum quinto versus pede positum vitabant, tamen nonnulli eum de industria adhibebant, velut qui Cirim composuit, neque contra defuerunt, qui eos, ut Persius, vituperarent. Atqui si Cicero in iudicandis poëtis novis aequior fuisset, illam mendam pro incremento rei metricae Latinae condonasset; nam hexametrum illi diligentius tractaverunt quam Ennius caesurasque naturae sermonis Latini accomodatiores statuerunt; elegorum maxime in brevibus epigrammatibus peritissimos se praestiterunt; in senariis aut septenariis componendis severiores leges quam poëtae scaenici priscae Latinitatis sibi imposuerunt trimetrisque iambicis continuatis primi usi sunt, in quibus ne Graecorum quidem poëtae periclitati erant, ut ex metris Sapphūs, Alcaei, Archilochi ea receperunt, quae linguae Latinae naturae magis convenientia putaverunt: stropham Sapphicam, Asclepiadaeum maiorem, Glyconeos, Pherecrataeos, in primis autem hendecasyllabos, denique contenderunt cum Graecis in scribendis galliambis, qui aspero sermone Latino aegre accommodari possunt. Quae omnia si aequo animo consideraverimus, non dubito, quin futurum sit, ut quisque nostrum poëtis novis ignoscat, quod cum bonis etiam mala quaedam ex Alexandrinis receperint.

Iam vero ad alterum locum Ciceronianum procedamus, qui est in Oratoris capitulo XLVIII.²⁾ Ibi noster postquam hiatum et dicendi asperitatem summa cum diligentia et nimia anxietate vitare scriptorem auriumque volutati morigerari debere monuit, „quin etiam — inquit — quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum postremae duae litterae, quae sunt in „optumus“ postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequeretur;

¹⁾ cfr. O. E. Schmid, Der Briefwechsel des Cicero. Leipzig 1860. pag. 93.

²⁾ Cic. Orat. 48. 161.

ita non erat ea offensio in versibus, quam non fugiunt poëtae novi Ita enim loquebantur: „qui est omnibu' princeps“ non „omnibus princeps“ et „vita ille dignu' locoque“ non „dignus.“

Cicero igitur hoc loco monuisse mihi videtur et Ennium — nam verba „qui est omnibu' princeps“ e versu Enniano deprompta sunt — et alios Romanorum poëtas veteres, cum postremas literas consonantes servarent, tamen literam s extremam obscurasse, si vocalis brevis antecederet et consonans sequeretur, et adiungit poëtas suae aetatis a litera omittenda abhorrere, quod ipsis „subrusticum“ i. e. inelegans videatur. Speciminis gratia exemplum ex Ennio et alio quodam poëta adfert. Saepius vero quam s litera m detrahebatur, unde antiqui „dictust“ pro „dictum est“ dicere soliti erant; sed extremis reipublicae annis haec synaloephe obsolevit. Iam de exitus mutilatione ideo poëtas novos reprehendisse mihi videtur Cicero, quod ipse in scriptis iuvenilibus non solum literam m sed etiam literam s extremam detraxerat, ut inter alios eiusdem aetatis poëtas facere consuerat P. Terentius Varro in saturis Menippeis, Lucretius Carus in libris de rerum natura. At postea recessum est a decurtandi consuetudine cum ab aliis tum ab eodem illo Cicerone, qui cetera antiquorum praecepta in tanta novorum contumacia religiose servavit.

Nec solum a verborum mutilatione sed ab aliis priscae Latinitatis scoriis *νεώτεροι* sermonem Latinum purgarunt. Ac primum quidem concisum pressumque reddiderunt; sed ne ieiunus aridusve fieret, verbis lectis et prope absonis orationem exornarunt, unde scribendi ratio nonnunquam mollis aut obscura facta est. „Interdum — ut Bachrentis utar verbis — parum agiles et insuetiore habitu tamquam tardati incedunt, nihilominus dignissimi hercle, quibus et gratiae habeantur maximae ob studia indefessa neque de meritis summis quidquam detrahatur: facilius multo posthac Vergilio et Ovidio coaevis addere limam ultimam, quam illis viam aperire, praemunire, solidare. Sed sic, duce arte, verba componentes anxie solliciteque haud pauca novabant, quae mollitiae specie offendebant necessario priscorum sectatores.“

Ex versibus novorum, qui ad nos pervenerunt, unus literam s sublatam exhibet, in ultimo scilicet Catulli carmine postremus :

at fixus nostris tu dabi' supplicium.

Forsitan dixerit quispiam cum Horatio: „Aliquando bonus dormitat Catullus!“ Equidem nego. Etenim carmine, quod verso citato finitur, per lusum respondetur Gellio, qui Catullum pluries perstinxerat, psequè versus ex Gellii epigrammate in Catullum conscripto

facete repetitur. An tam inconstantem sibi Catullum putaveris, ut quae praecepta cum novorum consensu dedisset, ipsemet per ludibrium infringeret? — Sed qui fit, ut idem illo Cicero, qui aetate virili in versibus scribendis consonantium plenitudini parum consulerat, senex factus poëtas novos de literarum furto accusaverit? — „At repudiavit Cicero iuvenilia“: respondebo nequo ideo inconstantia purgabo. Et erat infirmus et varius tam in literis quam in vita publica. Quotusquisque enim, cum Caesar Rubiconem transgressus ad urbem adventaret, in castra Pompei se conferre tantum dubitavit quantum Cicero, qui usque ad illum diem a senatu et Pompeio steterat? Quis senatorum, postquam Pompeius apud Pharsalum victus est, prior Cicerone rem Pompeianam deseruit Romanumque rediit? Quis denique bello civili defuncto paceque restituta non solum tacite Caesaris partes capessivit, sed ab iisdem rostris, de quibus identidem pro Pompeio dixerat, familiares acerrimi inimici patrocinator est? Pari mehercle, inconstantia et mutabilitate mentis Cicero usus est in literis. Nunc tironem ac rudem se simulat, nunc universae scientiae principatum sibi vindicat; modo primordia Romanae eloquentiae, modo suam ipsius operam forensem celebrat; alias vulgus profanum arcet a Musarum palaestra, rursus Ennium laudat res gestas populari sermone narrantem; interdum Graecas literas a semet ipso Romam translatas prae Romanis extollit; tum Homerum Ennio non antefendum censet. Hominem ergo varium et mutabilem in iudicandis novorum vitiis sibi parum constitisse non est quod miremur.

Tertius est de *νεωτέροις* locus in tertio Tusculanarum disputationum, ubi compluribus Ennii versibus memoratis: „o poëtam — inquit — egregium, quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.“¹⁾ Praeclara, medius fidius, vox et longiore digna meditatione! Ergone contemnebatur Ennius et quidem contemnebatur a cantoribus Euphorionis! Quid porro cantores hic sibi volunt? Quis tandem Euphorio?

Haec et alia quaerentibus primum quidem cum lexicographorum auctoritate respondebimus verbum „cantor“ proprie usurpari pro eo, qui clara voce praeditus sonos gratos edit, unde cantor Apollo pro citharoedo; tum improprie pro eo, qui quid cum socordia recitat, velut leguleius cantor formularum, aut laudandi aut vituperandi causa repetit.

Quod vero ad Euphorionem attinet, paucis absolvere licet:

¹⁾ Cic. Tusc. III. 19. 45.

Euphorio Chalcidensis, Polymnesti filius, anno a. Chr. n. ducentesimo septuagesimo sexto natus, poëta haud obscurae famae fuit; ab Antiocho accitus bibliothecarius factus est et in illius domo usque ad mortem mansit. Carminum epicorum haud spernendum numerum reliquit, in quibus carminibus remotissimas fabulas obscuro sermone ac duro et obsoletis verbis horrente tractavit. Amores in carminibus eius epicis frequentissimi sunt. In „Hesiodo“ mortem poëtae Aseraei variasque historias Atticas in *Μοῦσῳ* aut *Ἀνάκτοις* narravit: „Chiliades“ in eos composuit, a quibus patrimonio spoliatus est; haud dissimile carmen *Ἀραί* sive *Ποτηριοκλέπτῃς* inscribitur, quod Dirarum scriptores Romani imitati sunt. Praeterea *Διόνυσος*, *Ἰναχος*, *Θοράξ*, *Λίνος*, *Ἰππόμεδον*, *Ξένιος*, *Φιλοκτήτης* Euphorioni adnumerantur, nonnulla ei supponuntur. Scripsit praeterea epigrammata erotica, quorum duo etiam nunc exstant. Idem sermone soluto *περὶ τῶν Ἀλευαδῶν*, *περὶ Ἰσθμίων*, *περὶ μελοποιῶν*, *ὑπομνήματα ἱστορικά* edidit. Quo anno mortuus sit, incertum.

Ista igitur sermonis Euphorionei obscuritate atque immanitate factum est, ut Cicero poëtas novos pari vitio affectos cantores id est imitatores seu pedisequos Euphorionis facete appellaret. Ceterum innotuisse carmina Euphorionea cum aliunde tum ex hoc colligi potest, quod Catullus versum ex carmine aliquo Euphorioneo in ipsius carmen LXIV tanto verborum consensu transtulit, ut exemplar ante oculos eum habuisse putandum sit, quodque Valerius Cato in Diris Euphorionis *Ἀράς* secutus est.

Sed quo, quaeso, argumento cantores isti Euphorionis ad contemnendum Ennium, poëtam nobilem atque insignem perducti sunt teste Cicerone? Eodem videlicet, quo nostris quidem temporibus „realismi“ vel „symbolismi“ sectatores secedunt a priscorum semita. Catullum certe antiquos contempsisse nemo nisi stultus affirmaverit, utpote qui veterum carminum dulcedine se captum fateatur; Cornelii vero Nepotis verbum illud inclaruit, quo Catoni maiori gloriae tributum esse dicit secum duxisse Ennium „quam quemlibet Sardinensem triumphum.“ Sed quantacumque fuit novorum erga veteres veneratio, fieri non potuit, quin in scribendo ab eorum ratione discederent et novam quasi ad suum institutum viam sibi munirent. Nonne ut in artium sic in literarum vicissitudine a a veterrimo quoque praeceptore gradus fit ad eum, qui proximus est aetate? Anne tu hodie Italice scripturum ad Buccatii stylum vel potius pennam anserinam, qua ille fabulas iocosas exaravit, tractandam damnaveris? Sua cuiusque aetatis est lex et norma scribendi. Itaque suorum temporum necessitatibus obtemperantes poëtae novi Euphorionis Alexandrinorumque copiam et doctrinam quam

Ennii vel Lucilii austeritatem male'ant et sermonem Latinum Neo-graecorum flosculis locupletandum esse arbitrabantur. Qua in re tanta usi sunt diligentia quanta antehac nulli. Iidem poësi Latinam compluribus carminum generibus, velut elegia, epigrammate, epithalamio, aliis ditaverunt, rem metricam et phoneticam emendaverunt, orationem denique Latinam poliendam susceperunt.

Quae cum ita sint, Ciceronis de Ennio contemnendo crimen cum grano salis, ut dicitur, accipiemus. Ac profecto ita antiquos non despexerunt poëtae novi, ut in imitandis Graecorum exemplis ab Alexandrino delectu profecti ad vetustissimos, Sappho, Archilochum, Mimnermum, alios escenderint et aureae Latinitati Parnasum aperuerint. Recte illi in exemplaribus seligendis Doriorum genus erectum et elatum ad poësin Latinam minus convenire rati Aeolios praetulerunt; neque perperam iudicaverunt, cum quantum interesset inter Alexandrinorum carmina epica et carmina Aeolia adverterunt; etenim in illis studiorum et cogitationum fructus collectos, in his contra motus animorum libere expressos esse intellexerunt. Quare cum utrumque genus carminum inter se admodum differre cognovissent, utrumque in literis Latinis subtiliter distingui et in utroque cum Graecis contendere voluerunt. At erraverunt iidem, cum eruditionis ope sempiternam sibi gloriam parare posse speraverunt. Nam sicuti Petrarcha, cum ex Africa poëmate Latine composito famam immortalem sibi portenderat, falsus fuit vates, ita poëtae novi, si quam adepti sunt gloriam, non epicis carminibus acquisiverunt, sed ipsis illis eroticis, quae a Catullo pro nugis habita sunt.

In parte huius scriptiunculae liceat mihi a proposito paulisper egredienti *ρεωτίγων* motus et contentiones cum aliarum gentium historia quae dicitur literaria conferre et similia similibus, contraria contrariis quodammodo opponere.

Atque ut a similibus incipiam, nonne quid simile patrum nostrorum memoria in Italicarum literarum progressionem, quam „Arcadium“ nuncupant, evenit? Orta est Arcadium academia Romae exeunte saeculo XVII eo nimirum consilio, ut literas saeculo praecedente delirantes a crescente depravatione redimeret, et mox tam numerosas egit radices, ut per cunctas Italiae provincias mire pulularet. Ioannes Marius Crescimbenius supremus factus est dux et Ioannes Vincentius Gravina duodecim tabularum sermonis leges promulgavit, quarum summa: „In coetu et rebus Arcadicis pastoritius mos perpetuo, in carminibus autem et orationibus quantum res fert, adhibetur.“ In luco, cui nomen dederunt Parrhasio, plurimarum cantiuncularum prosiliebat herbescens viriditas neque erat in Italia vel urbs vel pagus vel vicus, in quo non Arcadium pastorum sibilarent

fistulae. Quid horum instar Anacreon, Theocritus, Catullus, Vergilius? At homines graves taedebat bucolicorum perpetui belatus et Arcadia male rediviva maturam mortem oppetiit.

Iam ad contraria ut transeam, quantum valeat imitandi studium quamque aegre homines ab imitandi vitio abstrahantur, docet magnum illud cum imitatoribus servilibus certamen, quod extremo saeculo XVIII inchoatum et saeculo sequente sub „romanticorum“ imperio prosecutum totam Europam paenitus permiscuit. Hi sempiternam veterum classicorum et antiquitatis imitationem stomachati ad suae quisque gentis res gestas spectare et suos mores, instituta, opiniones, fidem legemque Christianam versibus exornare instituerunt et de arte scribendi optime meruerunt.

Sic animi hominum perpetua voluntatum reciprocatio ut maris fluctus huc illuc feruntur neque unquam requiescunt.

Sed nunc ad inceptum redeamus et tribus locis Ciceronianis, quibus poëtae novi una cum eorum principe Catullo a Tullio aperte vellicantur, locos aliquot adiungamus, quibus cantores nimirum Euphorionis velato nomine destringuntur. Est enim hominis politiore humanitate praediti peccatum, non peccatorem arguere.

Ac primum quidem in Oratore, ubi, quo differant poëtae ab oratoribus exposuit, „Nec tamen — inquit — id est poëtae maximum, etsi est eo laudabilior, quod virtutes oratoris persequitur, cum versu sit astrictior. Ego autem, etiamsi quorundam grandis et ornata vox est poëtarum, tamen in ea cum licentiam statuo maiorem esse quam in nobis faciendorum iungendorumque verborum tum etiam *nonnullorum voluntate* vocibus magis quam rebus inserviunt.“¹⁾

Nonnullorum ergo voluntate poëtae aliqui vocibus magis quam rebus inserviebant. In *νεοτέροις* cadere probrum a Iahnio, viro doctissimo, iure monemur, nempe in putidam eorum sermonis elegantiam, rerum tenuitatem in quaeque menda iis a Cicerone, acerbo quidem censore, assuuntur. Ego quidem haud scio, an idcirco laudandi sint. Et laudati sunt a ceteris scriptoribus multo magis quam reprehensi.²⁾ In hendecasyllabis certe Catulli — ut de hoc uno loquamur, cuius documenta exstant plurima — Plinii minoris quidem sententia iocamur ludimus, amamus dolemus, quaerimur irascimur, describimus aliquid modo pressius modo elatius. Nonne istud est hominis eruditissimi praeconium nobilissimum? Quid quod pro tot affectuum enuntiatione mira quaedam suppetit verborum suppellex, quae

¹⁾ Cic. Or. 20. 68.

²⁾ Vell. Pat. II. 36.

quamquam ex vulgi interdum suburbani ore repetitur, tamen bellissima micat varietate soloecismorum ¹⁾ et deminutivorum ²⁾ et anaphoris, ³⁾ alliterationibus, ⁴⁾ homoeoteleutis ⁵⁾ mire est exornata. Hunc scilicet fucum orationis, haec certo lenocinia verborum et pigmenta togata M. Tullii Ciceronis eloquentia superbe aspernabatur. At quid faciam homini consulari? An, quia Dantes et Petrarca omnium Italicorum consensu principes sunt proclamati, locus aliis dabitur nullus? Immo amplissimus datur locus Catullo neque pallescet fama Lesbiae, donec manebit Roma nomenque Latinum.

Alter est locus in Oratore, ubi poëtae novi cum ironia quadam ac dissimulatione petuntur. Docet enim Cicero in capitulo undequinquagesimo sonum quidem numerumque sententiarum respiciendum, sed non ita, ut verba poëtae ad sonum exquisita videantur. „Quare bonitate potius verborum utamur quam splendore Graecorum nisi forte sic loqui poenitet „qua tempestate Helenam Paris“ et quae sequuntur. ⁶⁾ Quorsum haec? Eodem nempe, quo priora. Eadem illa contemptio antiquorum, Graecorum affectatio crimini datur novis. Sed de hoc satis.

Postremum Ciceronis de νεωτέροις iudicium occurrit in libro De optimo genere oratorum, cum ad dicendi rationem multum interesse censet, utrum de hominibus aliquid dicamus an de re. „In re enim — inquit — quod optimum sit quaeritur, in homine dicitur, quod est. Itaque licet dicere et Ennium summum epicum poëtam, si cui ita videtur, et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum.“ ⁷⁾ Hoc quoque loco Ciceroni cum „si cui videtur“ scriberet, poëtas novos observatos esse apparet, quippe qui Ennio palmam epici carminis inviti concederent. At quanta ingenii varietate ipse Cicero in Annalium auctore iudicando usus sit, iam supra monuimus neque ideo poëtis novis externa intuentibus suscensebimus.

Utcumque res se habet, hoc saltem certum est Ciceronem novorum incrementis pueriliter invidisse neque lacescendi occasionem

¹⁾ ut LXI. 63; XII. 13; XXV. 2.

²⁾ ut XX. 3; XXIX. 9; XXX. 2; LXIV. 137. XXV. 11; XVI. 4. 8; XIX. 8.

³⁾ ut III. 16-17; V. 7-10; VIII. 10; XI. 5-9; XX. 1-2; XXIII. 9-11; XXV. 2-3; XLII. 11-12; XLIII. 2-4; LI. 12-14.

⁴⁾ ut I. 8-9; VII. 2; VIII. 15-18; XXVIII. 14; XXVIII. 15; XXIX. 7; XXXIV. 15.

⁵⁾ ut I. 1; II. 1 et 4; XII. 17; XIV 10; XV. 10; XXIX 5; XXXIV. 9-12.

⁶⁾ Cib. Or. 49. 164.

⁷⁾ Cic. de opt. gen. or. 4.

praetermisisse. Quamobrem Catullus oratorum principi gratias agit ironice his versibus:

Disertissime Romuli nepotum,
quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
quotque post aliis erunt in annis,
gratias tibi maximas Catullus
agit pessimus omnium poëta,
tanto pessimus omnium poëta,
quanto tu optimus omnium patronus. ¹⁾

Iam accuratius indagare oportet in tanta opinionum discrepantia, utrum Cicero locis citatis ad unum omnes poëtas novos, an singulos ante oculos habuerit. Itaque cum aliis quidem locis universos corripit νεωτέρους viri docti consentiant, illum modo Tusculanarum disputationum locum considerabo, quo oratorem nostrum aut unum aut duos maxime respexisse arbitrantur, quibuscum illi fuisset controversia, aut Cornelium Gallum aut cum Gallo Publium Vergilium.

Atque, ut ab eo incipiam, qui primus hanc quaestionem attigit, Meineke in *Analectis Alexandrinis* ²⁾ praecipue Gallum per antonomasiam cantorem Euphorionis a Cicerone appellari censet; eiusdem sententiae est Hauptius; ³⁾ utrumque secuti sunt Harneckerus ⁴⁾ et cum aliqua haesitatione Kubikius, qui initio quidem dissertationis suae „Primo — ait — oculorum obtutu colligitur Ciceronem poëtas aequales minus respexisse vel potius omnino neglexisse. In his autem in primis sunt illi, quos „cantores Euphorionis“ contemptim vocat Tusc. III. 19. 45 tamquam, ut Baehrentis utar verbis, serviles imitatores nimis eruditorum et prae doctrina saepe obscurorum, in verbis metrisque mollium et iusto exquisitiorum Alexandrinorum, idque respectu Ennii masculino robore et sana simplicitate eminentis“ ⁵⁾ paullo autem infra ultimo scrupulo exempto opinionum eorum accedit, qui Ciceronem Gallum praesertim in mente habuisse contendunt, cum cantorum Euphorionis mentionem fecisset. ⁶⁾ Hac fretus coniectura Skutschius ⁷⁾ Gallum eo quo Tusculanae disputationes editae sunt anno iam gloriolam poëticam adeptum esse

¹⁾ Cat. II.

²⁾ A. Meineke, *Anal. Alex.* Berolini 1843, p. 25.

³⁾ M. Haupt, *Über eine christliche Inschrift in Opusculis III.* p. I Lipsiae 1876 p. 206 in nota.

⁴⁾ O. Harnecker, *Cibero u. Catullus.* Philologus 1882 p. 468.

⁵⁾ Kubik, *Dissert. phil.* Vindobonae. vol. I. 1887, p. 243.

⁶⁾ ibidem, p. 344.

⁷⁾ Fr. Skutsch, *Realencycl. der klass. Altertumsw.* v. Pauly-Wissowa, VII. 1900 p. 1349.

suspiciatur. Horum virorum doctorum sententiam post trium annorum dubitationem nuper assensione comprobavit C. Marchesius,¹⁾ nisi quod Gallo adiunxit Vergilium, quippe qui non minus quam Gallus Euphorionem imitando innotuisset invidiamque Ciceronis movisset.

Ceterum numerus eorum, qui singulariter Gallum Ciceronis aculeo compunctum volunt, prae iis, qui quoslibet cantores id est imitatores Euphorionis comprehendi existimant,²⁾ tam exiguus est, ut res ab opinionis arbitrio seiuncta et diiudicata videatur. Restat igitur, ut quae Gandilium confutandi causa contra Marchesium protulit, summatim referam.

Ac primum quidem inter viros doctos satis constat carmina, quae in Appendice Vergiliana collecta sunt, Vergilio abiudicanda esse. Quod si aliqua Vergiliana videntur, ea tamen non ex Euphorioneis, sed ex aliorum Alexandrinorum hortis deprompta sunt. Ipso in Culice, non eo, qui ad nos pervenit, sed quem Vergilius XXVI annos natus³⁾ composuit, quamquam vestigia Alexandrinorum reperiri possunt, tamen nulla Euphorionis; praeterea carmen, ut videtur, solis amicis notum erat. Eclogis demum emissis Vergilius in claritudinem venit; usque ad XXVI aetatis annum in studiis defixus raro versus fecit, neque praecoci fuit ingenio. E versibus autem eclogae decimae

Ibo et Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina pastoris Siculi modulabor avena⁴⁾

vix colligi potest Vergilium propter id ipsum, quod Galli fuisset familiarissimus, Euphorionem, Galli nimirum exemplar, imitatum

¹⁾ C. Marchesi, I., cantores Euphorionis. Atene e Roma IV (1901) p. 183-191.

²⁾ E. Sange, Quid cum de ingenio et litteris tum de poetis Graecorum Cicero senserit. Diss. phil. Halenses. vol. IV. 1880, p. 287.

E. Schollmeyer, Quid Cicero de poetis Romanorum iudicaverit. Diss. inaug. Halis Saxonum 1884, p. 24.

E. Baehrens, Catulli Ver. lib. vol. II. Lipsiae 1885, proleg. p. 10.

G. Schultze, Euphorionea. Diss. inaug. Argentorati 1888, p. 53.

O. Ribbeck, Gesch. der röm. Dichtkunst. Stuttgart 1887, p. 315.

M. Schanz, Gesch. der röm. Literatur. II. Aufl. 1898, p. 174.

S. Piazza, L'epigramma latino. Padova 1898, p. 141 segg.

G. Vitelli-Mazzoni, Manuale della lett. lat. Firenze 1898, p. 155.

G. Pascoli, Lyra II ed. 1899, p. 38.

A. Collignon, La critique et les querelles littéraires à Rome. 1900-01, Nancy, p. 21.

A. Gandiglio, Cantores Euphorionis. Bologna 1904.

³⁾ O. Ribbeck, Proleg. App. Verg. Lipsiae 1868, p. 29.

⁴⁾ Verg. Ecl. X. 50-51.

esse. Unde Gandilius recte concludit Vergilium anno XLV, quo Tusculanae foras datae sunt, nondum famam poëtae nedum imitatoris Euphorionis acquisivisse.

Quod ad Gallum pertinet, Gandilius quaestionem ponit, num Gallus iam a XLV abhinc anno in tanta imitatoris fama creverit, ut Ciceroni spem daret fore, ut qui legerent Gallum illum cantorem Euphorionis putandum esse divinarentur, et cum Cartaldo ¹⁾ universitatis Parisiensis professore, qui quo ordine Galli opera edita sint, docuit, fieri non posse ostendit, ut Galli Euphorionea iam XLIV vel XLV anno vulgata fuerint: immo anno demum XL primam laudem Gallum meruisse ἐπυλλίῳ, in quo nulla exstent imitatoris vestigia; Euphorionem vero recalcase in iis tantum carminibus, quae inter XL et XXXVII a Chr. n. annum composuerit. Cartaldum utique in hac controversia versus LXIC—LXXIII eclogae sextae perperam interpretatum et eclogam X cum Forbigero aliisque in XXXVII annum transtulisse. Id Cartaldi arbitrium a multis ideo exprobratum esse, quod et versuum illorum explanatio controversa sit et triennium, in quo Bucolica conscripta esse constet, ²⁾ ultro neglegatur.

Sed priusquam ex his virorum doctorum turbis me expediam, pauca de Galli vita praemittere iuvat, ut, qui fuerit tenerorum ille lusor amorum, ex tantulo ore accipiat posteritas.

Natus est Cornelius Gallus Fori Iulii, in urbe Galliae Narbonensis, anno undeseptuagesimo humili loco et Augusti benevolentia conciliata mox ad summos honores ascendit. In pugna ad Actium commissa parti exercitus pedestris praefuerat, dein contra Antonium in Aegypto tam bene pugnavit, ut ab Augusto Aegypto provinciae praeponeretur. Sed, ut sunt homines in rebus secundis insolentes, per omnes provinciae partes statuas sibi poni resque a se gestas pyramidibus insculpi iussit neque famae Augusti temperavit. Utinam ne fecisset! Ab amico perfido apud principem, deinde apud senatum, quod rem familiarem omni ratione exaggerasset, postulatus bonis publicatis exilio affectus est. Anno vigesimo sexto a. Chr. n. ipse necem sibi conscivit.

Carminum eius paucissima fragmenta snpersunt. Scripsit carmina epica et elegiaca: nam Parthenius cum suo quondam discipulo τὴν ἄθροισιν τῶν ἑρωτικῶν παιημάτων dicaret, Galli ἐπη et ἐλεγείας

¹⁾ Cartault, Étude sur les Bucoliques de Virgile, Paris 1897, p. 42-48.

²⁾ cfr. Vita Donati p. 60 et Servii p. 2.

commemorat.¹⁾ Elegorum quattuor in libris amorem Lycoridis cantavit;²⁾ unus modo versus reliquus est.³⁾ Quod autem epicum carmen in animo habuerit Parthenius etsi in incerto est, tamen ex sextae Vergilii eclogae his versibus coniectare licet:

Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum,
Útque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
Ut Linus haec illi, divino carmine pastor,
Floribus atque apio crinis ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Asraeo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos,
His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit Lucus, quo se plus iactet Apollo.⁴⁾

Apparet ex his versibus Gallum quo tempore a Vergilio amico in ecloga sexta memoratur, in epyllio quodam fabulari incohando vel perficiendo occupatum fuisse, in quo Servio teste⁵⁾ agebatur de certamine, quod Calchanti fuit cum Mopso quondam in luo Gryniensi Apollini sacro de divinandi peritia et ex quo Mopsus numerum pomorum arboris alicuius divinatus superior discedit, Chalchas dolore succumbit. Fabula est Euphorionis in quinto Chiliadum narrata.⁶⁾ Alii contra, in his Schanzius⁷⁾ et Ribbekius,⁸⁾ cum in versibus Vergilii senem Asraeum h. e. Hesiodum commemorari et Euphorionis quoddam carmen „Hesiodus“ inscriptum fuisse meminissent, Gallum versionem Latinam Hesiodi Euphorionei tunc ipsum finivisse et ad translationem fabulae de origine oraculi Grynei aggressum esse putaverunt. Alii denique⁹⁾ testimonio Serviano impugnatō carmen illud Galli nec imitationem nec translationem fuisse Euphorionis contendunt. Utut est, ex versibus Vergilianis certo elucet, Gallum anno XL — nam ecloga Alfeno Varo dedicata est, Asinio Pollioni in Gallia prosequenti — epicum quodpiam carmen in manibus habuisse.

1) Erotici scriptores, Parisiis, Diderot 1856 p. 3.

2) Servius ad ecl. X. 1.

3) Baehrens F. P. R. p. 336.

4) v. 64-73.

5) Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii rec. G. Thilo et H. Hagen, vol. III. fasc. I. Lipsiae 1887, p. 78 ad ecl. VI. 72.

6) Heyne, P. Vergilii opera, tom. I. Lipsiae 1788 p. 171.

7) Schanz, Röm. Lit. Handbuch Müller. II. p. 213.

8) Ribbeck, Analecta Alexandrina p. 79.

9) Cartault p. 42.

Restat, ut quaeramus, hoene demum Gallus carmine epico de Apolline Gryneo Romae in famam imitatoris Euphorionis venerit, an antea aliis carminibus praesertim eroticis inclaruerit, ut inde a XLV anno pro cantore Euphorionis haberetur. Plerique igitur viri docti¹⁾ Gallum a Vergilio in VI ecloga ideirco celebratum esse volunt, quod elegis relictis ad epopaeam incumberet; Cartaldus unus usque ad XL a. Chr. n. annum eum perpauca scriptitasse carmina arbitratur, unde a Vergilio primum, quod laude vere dignum esset, carmen Galli „Chalcidico versu“ compactum pronuntiat. Gandilius denique Gallum ad nugas amatorias, dum epicum genus tractaret, paulisper neglectas, rediisse opinatur. Si res ita se habet, Gallum carminibus in Lycoridem inclaruisse necesse est; at quo tempore amori operam dedit? Certe non ante annum quadragesimum quintum, cum Cicero in epistula quadam²⁾ illius anni Antonium „Cytherium“ vocat, Cytheris autem nihil aliud quam verum nomen libertae equitis Romani Volumni Eutrapeli est, quae non solum ab Antonio et M. Bruto, sed etiam a Cornelio Gallo mutato nomine amata est.³⁾ His ex omnibus rebus facile colligitur et Galli amores et carmina erotica nullo pacto ante annum quadragesimum quintum statuenda esse, immo ne ante secundum quidem et quadragesimum, quia Gallus, prius quam a triumviro pecuniam ex agrorum assignatione redeuntem exigere iussus est, nequaquam tam magnas facultates habebat, ut sumptibus Cytheridum vel Lycoridum mimarum sufficere posset.

His aliisque argumentis Gandilius Ciceronem cum in aliis scriptis tum in Tusculanis non unum alterumve ex poëtis novis, sed omnes generaliter destrinxisse tanta gravitate demonstravit, ut ipse Marchesius⁴⁾ a priore sententia paullum recederet Gandilioque replicans cum eo conveniret, illo Tusculanarum disputationum loco Ciceronem neutiquam Vergilium in animo habuisse, ceteroquin in hoc perseveraret, quod Gallo imprimis a Cicerone nomen cantatoris Euphorionis inditum esse diceret, praesertim cum sibi persuadere non posset Cornelium Gallum vigesimo septimo demum aetatis anno primam laudem poëticam meruisse.

¹⁾ W. H. Kolster, *Vergils Eklogen*. Leipzig 1882, p. 98 et 129.

M. Rothstein, *Properz u. Vergil*. *Hermes* 1898, p. 21 seqq.

M. Rothstein, *Die Elegie des Sextus Propertius erklärt*; I. Berlin 898, p. 213.

Schanz, o. c. II. p. 145.

²⁾ ad Att. XV. 22.

³⁾ Aurelius Victor, *de vir. ill.* 82.

⁴⁾ *Atene e Roma* VII. 70. p. 312-16.

Sed ne nimis in exagitando illo epitheto Ciceroniano comorari et rixam de lana, ut dicunt, caprina renovare videamur, sententiam Gandilii cum Marchesii opinione ita conciliabimus, ut Ciceronem, quotiescumque *νεωτέροισ* reprehendit, universos scholae Catullianae poëtas aequè arguisse statuamus, simulque cum Marchesio unum alterumve ex iis cantoris Euphorionis appellationem ironicam pro obscuritatis et verborum immanitatis ratione singillatim provocasse putemus.

Carmina igitur Alexandrinorum, ut vidimus, *νεωτέροισ* exemplum elegorum praebuerunt ad carmina erotica fingenda iisque epyllii genus narrativum aperuerunt, quod statim in eorum gratiam ac favorem venit, quia in epyllio amplior quam in epopoea relinquebatur locus ad sermonem imaginum copia et venustate locupletandum. Quo factum est, ut Alexandrina inhaeresceret poëtis novis forma, etiãsi non Alexandrinos tantum, sed melicos Aeolicos ipsumque Archilochum imitati essent. Manent etiamnunc Calvi choliamborum vestigia et carminum nuptialium, quae Sapphûs epithalamia assimilant.¹⁾ Idem de Ticeida dici potest, qui in fragmento quodam eodem metro usus est, quo Catullus carmine XLI.²⁾

Iam cum prae novandi cupiditate poëtae novi priscam illam dicendi et sentiendi moderationem et gravitatem, qua veteres excellebant, de industria exuerent totamque curam in leviora insumerent, fieri non potuit, quin Romanis priscae fidei stomachum moverent, qui etsi Graecorum politiozem humanitatem non detestabantur, tamen Latinitatem Graeca luxuria opprimi nolebant. Hos taedebat Catulli ineptiarum, quae quidem ingeniosae et facetiae scurrilitate nonnunquam sermonis scatebant aut rerum tenuitate squalebant. Horum videlicet fastum irridens Valerius scribit :

Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manusque vestras
Non horrebitis admovere chartis,
.³⁾

Nec Catulli solum nugae aut Calvi, sed universa poësis amatoria, in qua lasciviae et proterviae lues velut in lupanarium serpebat pergulis; offensionem attulit tam aequalibus quam posteris.⁴⁾

¹⁾ Baehrens, *Fragmenta poët. rom.* C. Lic. Calvus fr. 3 seqq.

²⁾ Baehrens, *ibidem*, Ticeidas fr. 1.

³⁾ Hi versiculi carmini XVI ad Aurelium et Furium attexuntur contra manuscriptorum et librorum veterum fidem. Versus quartus, qui hic omittitur quique abest in libris veteribus, debetur ingenio Vossii.

⁴⁾ Lafaye, *Catulle et ses modèles*; Paris 1894, p. 104 seqq.

Quid mirum, si Ciceroni, homini quidem honesto et verecundo, qui Graeca non adeo adamabat, ut morum licentiam toleraret? Et Ennii aetatem auream tam cupide exoptabat, ut libenter, si potuisset, illa tempestate vixisset. Tunc e Graecorum humanitate cum virtute Romana coniuncta miram quandam exstitisse civium Romanorum integritatem.¹⁾ At etiam tunc Graecitas quamvis moderata a nonnullis impugnata est, quod oblitus esse Cicero videtur, cum exprobrantibus sibi nimium Graecorum favorem responderet ne maiores quidem studia illa inutilia vel pernicioosa existimasse. Aliis rursus locis in literarum studiis se versatum esse praedicat eo dumtaxat consilio, ut notitiam sibi pararet rerum earum, quae cuilibet homini rerum civilium perito maxime essent necessariae. Qua erat erga patriam pietate Ennium, Pacuvium, Caecilium, Accium cum Homero, Aeschilo, Sophocle, Euripide exaequabat. Mox sapientiae doctrinam Romanum non dedecere ratus philosophiae studium a Romanis nullo tempore praetermissum esse contendit²⁾ literasque Graecas iam primordiis reipublicae ipsaque Anci Marci et Tullii Hostilii aetate in Latio increbuisse asseverat.³⁾ Ad hanc certe Graecorum curiositatem spectat, quod viros illustres, quos in dialogis disputantes inducit, eruditiores facit quam fuerunt, nempe ut semet ipsum a Graecorum inimicis defendat. Rursus aegre ferebat, si quis eum obiurgaverat „quod acrius ultraque quam concessum Romano“ doctrinae Graecae incumberet. Inde multa illa Ciceronis et inter se contraria de se ipso iudicia. Nunc se imperitiorem literarum simulat quam erat;⁴⁾ nunc qualibet liberali disciplina se imbutum gloriatur.⁵⁾ Modo principia eloquentiae Romanae et oratorum, qui ipsum praecesserant, praestantiam extollit; modo palmam artis oratoriae sibi vindicat. Nunc vulgus ab arte poëtica alienum censet;⁶⁾ alias Ennio summae gloriae attribuit, quod rerum Romanarum historiam ad populi romani iudicium et gustum, quem dicunt, informaverat.⁷⁾ Mira est denique discrepantia laudum, quas Ennio tribuit, et sententiae, quae in Bruto occurrit, ubi citatis Ennii versibus:

„scripsere alii rem
versibu,“ quos olim Fauni vatesque canebant
quum neque Musarum scopulos quisquam superarat“

¹⁾ Cic. de rep. V. 1. 2.

²⁾ Tusc. IV. 1. 1.

³⁾ De rep. II. 19. 34.

⁴⁾ Or. 38, 108.

⁵⁾ De uff. I. 1. 3.

⁶⁾ Brut. 15. 191; de or. I. 3. 12.

⁷⁾ Or. 11. 36; 31. 109.

et adiectis verbis „nec mentitur in gloriando: sic enim sese res habet,¹⁾ brevissimo nimirum intervallo Naevium quaeque ante Ennii aetatem cantitata erant, plena manu in astra tollit, Ennii laudibus obtrectat.²⁾ Idem poësin Latinam identidem inferiorem Graeca confessus,³⁾ sententia perfracte mutata Ennium non solum cum Graecis coryphaeis comparat, sed prope praeponit.⁴⁾

Quae cum ita sint, quonam iure postulandum erat, ut qui si revivisceret, ne subsicivi quidem temporis horam in lyricis legendis consumpturum fuisse dicitabat, quique poëtarum nugae flocci aestimabat, obscoenitatem repudiabat, Ennium antiquosque admiratione vere dignos censebat, idem novorum carmina probaret praeter Lucretium et Varronem? Quid quod ab ineptis imitatoribus Catulli talia in lucem praeferebantur, quae Ciceronis vel cuiuslibet facetias non provocare non possent? „Nam Hortensius invenusta et Cinna inlepidi et Memmius dura ac deinceps omnia dura fecerunt atque obsona.“⁵⁾ Quo quidem tempore Tusculanae disputationes editae sunt, principes scilicet novorum iam decesserant; nec defuerunt tamen, qui eorum vestigia premerent. Etenim Bibaculus Augusti usque ad aetatem versus faciebat⁶⁾ neque Cinna a Vergilio laudatus esset, si iam pridem arti poëticae vale dixisset;⁷⁾ Valerius Cato pergrandis natu sub Augusto vivere desiit, Tigidas Augustum aequalem habuit.⁸⁾ Caecilium vero et Calidum et Quintilium Varum inter vivos adhuc fuisse verisimile est. Utcumque res se habet, hoc pro certo affirmari potest, Tusculanarum tempore poësin novorum praecipitem isse ipsumque Ciceronem νεωτέγων ruinam per nonnullorum annorum spatium suis oculis spectasse; unde iusto iure tam in Tusculanis quam in Oratore et in eloquentiam Romano-Atticam aequae delapsam et in poëtas Neo-Romanos invectus est.

Ceterum Tullii de poëtis iudicia, etsi non magis Latinorum quam Graecorum notitia et usu nitebatur, haud sine aliqua dubitatione, quod pluries monuimus, accipienda sunt. Qua fuit ingenii versatilitate, omnia solutae orationis genera cum summa laude degustavit nec quin versus faceret sibi temperavit. Iuvenis admodum

¹⁾ Brut. 18. 71.

²⁾ ib. 18. 74. 76.

³⁾ Tusc. II. 11. 26.

⁴⁾ ib. I. 1-2; 3-4; IV. 2. 5; de orat. I. 3. 11.

⁵⁾ Gellius, Noct. Att. XIX. 9. 7.

⁶⁾ Tac. Ann. IV. 34. Suet. de gramm. 4.

⁷⁾ Verg. ecl. IX. 35.

⁸⁾ Suet. de gramm. 4.

Aleyonis fabulam, Nilum, Thalam, Leimonemque composuit. Leimonis aliquot hexametri de Terentio permanserunt :

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum,
In medium nobis sedatis vocibus affers
Quiddam come loquens atque omnia dulcia dicens.¹⁾

Quos si cum Caesaris de Terentio versibus comparaverimus :

Tu quoque, tu in summis, o dimidiata Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis
Comica ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis ; neque in hac parte despectus iaceres !
Unum hoc maereor, et doleo tibi deesse, Terenti !²⁾

Caesarianis necessario postponemus et Tullium iuvenem pro versificatore potius quam pro poëta habebimus. Sed ne maturioribus quidem annis ei obtigit, ut carmen laude dignum componeret ; etenim non impulsu naturae, sed sola vanitate ad versus faciendos incitabatur.

Is posteaquam consulatum suum duabus scriptiunculis prorsa oratione compositis celebravit, cum laudationem ab amicis frustra exposcisset, vere aut aestate anni sexagesimi rem, heu quam poëticam, versibus componere instituit et mense decembri eiusdem anni cum magno ipsius gaudio tres de consulatu libros ad finem perduxit. In his libris cum alia tum haec mira narrantur : Ciceronis educationi puerili ipsam Minervam praefuisse ; mox cum urbs terrarumque orbis universus in maximum periculum et extremum paene discrimen adduceretur, ab Iove optimo maximo ad deorum concilium sese adhibitum, ut quam malorum medelam ipse excogitasset praeponeret deorumque mandata in terris exsequeretur. Postremo libro Calliope musa Ciceronem consulem monet atque hortatur, ut optimatum voluntati satisfacere perseveret : inde ab Iove dimittitur.

Quam tumida et inelegans fuerit oratio, quam avide rebus gestis fabulas innexerit ex versibus superstitionibus intellegi potest, in quibus ab Urania musa enumerantur prodigia, quae tempore coniurationis Catilinae visa sunt.³⁾

¹⁾ Suet. vita Ter. 34. 2.

²⁾ ibidem, 34. 7.

³⁾ Cic. de div. I. 17-22.

Πολυδρούλιτοι denique versus illi inani superbia tumentes :

Cedant arma togae, concedat laurea laudi

et :

O fortunatam natam me consule Romam!

quorum alter Iuvenalem tantopere irritavit, ut non posset non exclamare : „Antoni gladios potuit contemnere si sic omnia dixisset.“¹⁾

Anno quinquagesimo sexto, postquam Luceium adiit, ut de se in historia scriberet, alterum poema, quod „De temporibus suis“ inscripsit, componere coepit. Sed ne hoc quidem carmen, quo dolorem exsilii gaudiumque reditus in patriam narravit, magni pretii fuit, quamquam ad Quintum fratrem in Britanniam missum a Caesare laudatum est cum desiderio, ut etiam de se aliquid scriberet. Unde Cicero se bellum Britannicum celebraturum promisit. Mense decembre anni quinquagesimi quarti carmen ad finem perductum erat; „Marius“ aequalibus minus displicuisse videtur.

Sequitur, ut Cicero carminibus fingendis famae suae male consuluerit et risum potius quam plausum moverit.²⁾ Conversiones contra ex Graecis magis placuerunt nec „Phaenomena et Prognostica“ vituperanda erant, nisi prodigio Aulico et cantu Sirenarum nitorem et venustatem poëseos Homericæ dissipasset.

Quapropter non valde errabimus, si iudicia Ciceronis de poëtis paullum ponderis habere censebimus. Eo magis mirandum est Ciceronem de poëtis novis, qui Alexandrinos poëtas imitati sunt, iniquum iudicium fecisse, cum ipse carminibus illis iuvenilibus, quae supra memoravimus, Aeyone, Nilo, Uxorio, Glauco ad Alexandrinorum poësin prope accesserit primusque fortasse Romanorum carmen elegiacum „Thaliam maestam“ et epigrammata cum iocosa tum lasciva scripserit. In libris suis autem Cicero illorum carminum nusquam mentionem facit, unde colligi potest eum aetate provecta ipsius nugas repudiasse; inde demum poëtis novis se minus propensum ostendit. Quam ob rem nonnulli³⁾ cum animadvertissent Ciceronem poëtas novos praecipue in iis libris, quibus oratores Atticos reprehendit, cavillatum esse, causam huius in *νεωτέροις* asperitatis in eo positam fuisse suspicati sunt, quod Tullium Pseudoatticorum potius forensis iactantiae pertaesum esset. Perperam! Nam controversia

¹⁾ Iuv. sat. 10. 124.

²⁾ Iuv. sat. 10. 24; Seneca exc. contr. 3 praef. 8; Tac. dial. 21; Seneca, de ira 3.37.5; Plut. Cic. 40; Schenkl, De Cic. poeta, Jahresbericht des Vereines Mittelschule, Wien 1866.

³⁾ Harnecker, Philologus 1882 p. 240.

cum poëtis novis aut ex certamine studiorum et literarum orta aut a privatis offensionibus, quae Ciceroni cum illis intercesserint, repetenda est. Quae quidem similtas etiamsi a Cicerone cum Calvo aperte non esset exercitata, hunc tamen occultum adversus Ciceronem odium gessisse par est, ex quo Tullius Licinium Macrum, Calvi patrem, in ius vocatum repetundarum exarguerat tanta perveracia, ut sibi mortem conscisceret. Catulli cum a Cicerone nunquam fiat mentio, in ambiguo est, quatenus bene inter eos convenit. Catullus certe in carmine, quod supra citavimus XLIX, non infitiat se pessimum omnium poëtam, Tullium optimum omnium patronum esse. At quorsum haec? Estne animi benigni sic loqui an infesti? Gandilius quidem benevolentiam odoratur, ego nimia mordacitate percissor. Neque consentaneum est Ciceronem, si Catullum inter caros habuisset nusquam illius mentionem facturum fuisse. Sane quidem ii, qui opinione praeiudicata similtates Ciceroni cum poëtarum novorum choro fuisse negant, quanto amore Cornelium Nepotem vel C. Memmiam amplexus sit, monebunt. Sed quid de reliquorum consuetudine dicamus? Num illos pro amicis habebimus, qui in tertio Tusculanarum „cantores Euphorionis“ pronomine „hi“ contemptim adiecto significantur? Nonne, si res illi erat cum amicis, benevolentiam suam erga Euphorionis sectatores interiecto potius possessivo sic ferme loco lato expressisset: „O poëtam egregium (scil. Ennium)! quamquam a cantoribus nostris Euphorionis contemnitur.“? Equidem censeo, sed locupletiora documenta ut in re dubia afferre nequeo.

Cicero cum poëtarum novorum contentionibus obtrectare coepisset, in eo errasse videtur, quod posterum tempus *νεωτέρον* conatus ad irritum redacturum esse arbitrabatur, praesertim cum in Calvi et Catulli alveario fucorum genus grassaretur. Et delapsa est tantisper poësis Alexandrina, ut ne Varronis aut Vari quidem opera — si cum Schanzio auctoritatem Hieronymi secuto crediderimus, Varronem Attacinum anno u. c. CXXIX iam ad Alexandrinos imitandos se vertisse aut Quintilium Varum iam ex eo tempore famam poëtae consecutum esse — ad pristinum fastigium escenderit, neque vero ad imum demersa. Immo emersit extremo reipublicae ac primo principatus tempore complurium poëtarum ope, qui Alexandrinos maximeque Euphorionem probe imitandos susceperunt. Ex eo numero Cornelius Gallus Euphorionem in elegis recalcavit; Euphorionem teste¹⁾ Diomede secuti sunt Tibullus, Propertius, Ovidius, qui

¹⁾ Diom. III. 484. 17 Keil.

quidem in *Metamorphoseon* libris et in *Fastis Euphorionis* passim reminiscitur. Ipse nimirum *Tiberius princeps* et *Euphorionem* et *Parthenium Nicaeensem*, cuius potissimum opera carmina *Euphorionea* inclaruerant, imitatus est tantique aestimavit, ut utriusque clipeos in bibliothecis collocandos curaverit.

Interim gliscente fama *Catullus* omnium oculos in se converterat. *Maecenas* eum in deliciis habuit et ipse imitatus esse videtur, siquidem *Catullianum stylum* resipiunt quae infra :

Lucentes, mea vita, nec smaragdus,
Beryllos neque, Flacce mi, nitentes,
Nec percandida margarita quaero,
Nec quos thunica lima perpolivit
Anulos, neque iaspis lapillos.

aut

Ni te visceribus meis, *Horati*,
Plus iam diligo, tu tuum sodalem
Hinnulo videas strigiosorem. ¹⁾

Neque inter turbas civiles obmutuerunt carmina *Catulli* aliorumque et pace restituta reviruerunt cum *Priapeiorum lasciviis*. Stabat plerumque in hortulis inter olera et cucurbitarum pampinos *Priapi* ligneum simulacrum nonnusquam sacello conditum, sacelli parietes, pomorum quae circa erant trunci nugonibus copiam sui facientes mox salacibus dictis operiebantur, quorum aliqua ex plurimorum strage mire servata et ad *Catullianorum epigrammatum exemplar* confecta hoc disputatiunculae loco conferantur :

Quid frustra quereris, colone, mecum,
Quod, quondam bene fructuosa malus,
Autumnis sterilibus duobus adstem ?
Non me praegravat, ut putas, senectus,
Nec sum grandine verberata dura,
Nec gemmas modo germine excutes
Seri frigoris ustulavit aura ;
Nec venti pluviaeque siccitasve
Quod de se quereris, malum dederunt.
Nec sturnus mihi graculusve raptor
Aut cornix anus aut aquosus anser
Aut corvus nocuit siticulosus :
Sed quod carmina pessimi poetæ
Ramis sustineo laboriosis.

¹⁾ *Paseoli*. *Lyra*; Livorno 1903; p. 19.

aut

Si quot habes versus, tot haberes poma, Priape,
Esses antiquo ditior Alcino.

aut

Securi dormite canes; custodiet hortum
Cum sibi dilecta Sirius Erigone.

aut denique haec Vergiliana :

Vere rosa, autumnopomis, aestate frequentor
Spicis: una mihi est horrida pestis hiems.
Nam frigus metuo et vereor ne ligneus ignem
Hic deus ignavis praebet agricolis. ¹⁾

Sequitur ut poëtarum quotquot νεωτέρου successerunt, nemo eos superbe ignoraret vel aperte vituperaret, nisi quod ab Horatio eadem fortasse de causa, qua oratores Pseudoattici a Cicerone, contempti sunt, quorum uterque Graecorum insignem antiquitatem, non Alexandrinorum postumam temeritatem imitatione digna censebant. Sed utcumque ea res se habuit, Catulli certe eiusque sectatorum poësis Neoatticorum famam valde imminuit et cum antesignanorum morte ita non exstincta est, ut nostrorum paene temporum nugatoribus non fuerit exemplo. Etenim quis est, quaeso, inter viros doctos aetatis nostrae, qui quid „Pasquillum“ sit ignoret? At multi quidem erunt, qui nesciant, unde vox deprompta sit. Jam ut vocis, quae cum νεωτέρων lascivia arte cohaeret, originem aperiam, liceat mihi extrema huius quaestiunculae parte ad exhilarandum lectoris animum de Pasquino et Marphorio personis pauca addere.

In media Romae urbis parte prope aedes Orsinianas statua est quae mutilata naso, brachiis, eruribus singulari tamen artificio exculpta perfectissimis antiquitatis monumentis adnumeratur et Aiace fortasse repraesentabat. Dicunt Romae argutissimum fuisse sartorem, qui magister Pasquinus vulgo vocabatur, cuius in tabernam aulici, legati, episcopi, cardinales lasciviendi causa conveniebant. Sales et facetiae, quae illic iactabantur, totam mox urbem pervolabant et aliorum quoque salse dicta magistro Pasquino tribuebantur. Paulo post quam mortuus est, haud longe a Pasquini taberna signum illud truncatum effoderunt, quod pro Aiace Achillis aut pro Menelao Patroli corpus sustinente habitum est. Alii contra Pasquinum esse ab inferis revocatum iocose susurrabant. Quae vox simulatque increbuit, miro vulgi favore accepta est. Praefecti autem Urbi magistratum edicta, pontifices maximi indulgentias, maligni carmina

¹⁾ Pascoli o. c. p. 19—20.

probrosa statua utpote in foro frequentissimo collocata suspendere coeperunt. Ex carminibus famosis, quorum licentia a *νεωτέγων* non est superata exstant haec in Alexandrum VI, cum corpus filii Tiberis aquis submersi extractum esset:

Piscatorem hominum non te non, Sexte, putemus,
Piscaris natum retibus ecce tuum.

aut in Iulium II, qui Petri claves abiecisce dicebatur, ut Pauli gladium capesseret:

Obtulerat, Juli, tibi quae sors Julia claves,
Clavas, erravit credo, datura fuit.

Altera statua, ad eundem quo Pasquinus usum adhibita, ingentis dei marini fuit, qui intra forum et templum Martis effossus est quique Marphorius vocabatur. Marphorium istum iuxta positum vulgus cum Pasquino saepius colloquentem fingebat. Itaque sub Sixto V pontifice Pasquinus cum sordidis vestibus indutus a Marphorio interrogaretur, cur sic squaleret, respondebat: „Quod mulier, quae meas vestes lavat, soror pontificis facta est“. Sed Sixtus ioco in serium converso auctores libellorum patibulo affixit, ut Pasquinus postridie percussus exclamaret, Sixtum pontificem ne Christo quidem quid ignoscere.

Haec Romanorum XV et XVI saeculi convicia et iurgia dum refero, nonne legenti ultro subeunt libelli illi famosi, qui totidem fere saeculis ante e *νεωτέγων* prodierunt officina? Ergo non aliquo iure in conclusionione disceptatiunculae nostrae pro certo affirmemus *νεωτέγων* studia, quibus Ciceronis aetate praefuerit Catullus, ad universam quae post fuit poësin melicam pertinuisse eamque mire promovisse, neque Ciceronem, si poëtarum novorum in posterum adiumenta providere potuisset, despecturum, sed iusta existimatione eos iudicaturum fuisse?



NOTIZIE SCOLASTICHE

Corso triennale in Scienze Pedagogiche (1981-82)

NUMERO	INTELLIGIBILITÀ	ESITO
1
2
3

NOTIZIE SCOLASTICHE

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10

NOTIZIE SCOLASTICHE

Corpo insegnante alla fine dell'anno scolastico 1911-12.

	NOME	MATERIE	Ore	Capo-classe in	Osservazioni
1	Dr. Giuseppe Vidossich , i. r. direttore	Propedeutica filosofica in VII e VIII.	4		
2	Arturo Bondi , i. r. professore.	Nel I semestre storia e geografia in IV - VIII; Nel II semestre storia e geografia in IV, V, VII, VIII.	20 15		Custode della collezione geografico-storica.
